

gationem repugnare cum perfecta satisfactione de rigore justitiæ, ut satis dictum est in q. 1, art. 2. Probatur ergo conclusio, quia Christus tenebatur amare Deum, et non mentiri, et vitare alia quæ sunt intrinsece mala.

3. *Objectio.* — *Responsio.* — Dices: etiam mentiri, vel esse infidelem in promissis servandis, est intrinsece malum respectu divinæ voluntatis, et tamen non propterea Deus obligatur præcepto, sed voluntas ejus natura sua abstracta est, et omnino aliena ab omni hujusmodi malo. Respondetur, hinc recte sequi voluntati Christi ex vi et natura talium objectorum necessarium esse, ad honestatem morum, ea vitare quæ sunt intrinsece mala, etiamsi per intellectum præscindamus omnem legem superioris, quod commune est Christo cum aliis omnibus qui ratione utuntur, ut latius in 1. 2 tractatur. Ex hoc tamen ulterius sequitur, voluntatem Christi humanam, eo quod inferioris ordinis est, et superiorem habet, teneri ex præcepto superioris, quod per naturalem rationem illi manifestatur, hæc omnia mala vitare, vel contraria bona facere, quia hæc obligatio est quasi proprietas intrinseca et connaturalis rationali naturæ, quæ superiorem habet, cujus gubernationi et providentiæ subdita sit. Et hæc conclusio procedit tam de pura lege naturali, quæ consideratur respectu humanæ naturæ præcise sumptæ, quam de lege supernaturali, quæ connaturalis est gratiæ, seu naturæ ut elevatæ per gratiam et supernaturalem cognitionem; est enim eadem ratio de utraque. Nec vero est quod inquiremus an potuerit Christus non obligari hac lege naturali, vel an potuerit cum eo in hoc dispensare; non enim magis potuit hæc obligatio a Christo homine, quam ab aliis hominibus se jungi, quia (ut dixi) est quasi naturalis proprietas consequens humanam naturam. An vero naturalis lex simpliciter auferri possit aut dispensari, non est hoc loco disputandum, cum in materia de legibus proprium habeat locum.

4. *Christus immunis legum humanarum.* — Dico secundo: Christus Dominus nullis humanis legibus subjectus fuit, quamvis de absoluta Dei potentia subjectum esse non repugnaverit. Prior pars probatur optime illa ratione, quia Christus etiam in humanitate sua habuit dominium et jus superioris ordinis super omnes homines per potestatem excellentiæ, ut latius infra, q. 22, dicturi sumus; non ergo magis potuit humanis legibus obli-

gari, quam possit rex lege lata ab aliquo sibi subdito obligari. Unde, Matth. 17, de legibus tributorum agens, ipse conclusit: *Ergo liberi sunt filii*; quem locum Patres omnes de Christo intelligunt, et ex illo colligunt Theologi, in 2, d. 44, Christum non fuisse subjectum rebus temporalibus. De quo videri potest D. Thomas ibi, q. 2, art. 2; Bonav., art. 3, q. 1; Soto, in 4, d. 25, q. 2, art. 1; Turrecremata, lib. 4 Sum., p. 4, c. 37, ubi refert, Joannem XXII, contrariam sententiam, quæ fuit Marsilii Patavini, erroris damnasse. Et hæc conclusio magis constabit ex dicendis in conclusione sequenti.

5. *Objectio.* — *Responsio.* — *Christus quomodo matri subjectus.* — Sed contra, quia Christus tenebatur obedire Matri, cui erat subditus, Luc. 2. Respondetur, sponte sua se illi subdidisse sicut Josepho, jure tamen et in rigore non fuisse obligatum, quia potestas excellentiæ et jurisdictio, quam Christus habebat, etiam in matrem suam, erat superior et altioris ordinis. Dices: ergo non tenebatur Christus illa lege naturali qua obligantur filii colere parentes, et obedire illis, quod est contra præcedentem conclusionem. Respondetur simpliciter negando consequentiam; tenebatur enim Christus pietatem servare respectu matris; tamen, quia hoc præceptum affirmativum est, non semper obligat, neque eodem modo, neque ad eosdem actus, sed juxta occurrentes circumstantias; et quia hæc in Christo erant multo alterius rationis quam in aliis hominibus, ideo diverso modo obligari potuit illo præcepto.

6. *Legislator quomodo obligatur lege sua.* — Dico tertio: Christus Dominus non fuit subjectus illis divinis legibus positivis quæ pro universa Ecclesia aut Israelitico populo datae sunt. Declaratur, quia hæc lex tantum est duplex, nova et vetus; de nova facile probatur, quia ipsemet Christus fuit auctor et legislator hujus legis. Considerandum vero est legislatores humanos interdum obligari legibus suis, quando illæ versantur in materia æque ad ipsos legislatores pertinente, sive hoc sit quia sub hac conditione censentur accepisse potestatem ferendi leges; sive quia lex naturalis eos subicit talibus legibus, eo ipso quod sunt ejusdem status et conditionis cum aliis, ad quos leges feruntur; in Christo autem Domino hoc non habet locum respectu legis novæ a se conditæ, tum quia non sub hac conditione accepit potestatem legislativam, quæ in ipso fuit alterius et excellentioris rationis;

tum quia non habuit statum ejusdem rationis cum subditis, ut ad illum talis lex pertinere potuerit. Quod ita etiam declaratur, quia quando lex principis respicit subditos, ut subditi sunt, ut est, verbi gratia, lex de solvendis tributis, talis lex non obligat principem; sed ad hunc modum proportionaliter est in præsentia, nam lex gratiæ a Christo lata respicit homines ut peccatores, seu ut viatores, atque adeo existentes in inferiori statu.

7. Igitur solum superest ut de veteri lege hanc conclusionem probemus; non enim defuerunt qui dicerent Christum fuisse legi veteri obnoxium, atque adeo obligatum ad servandam illam. Ita tenet Joan. de Medina, supra, cui videntur favere verba ipsius Christi, Matth. 5, de se dicentis: *Non veni solvere legem, sed adimplere*; et Paulus, ad Galat. 4, dicens, *misisse Deum Filium suum, factum sub lege*. Favent etiam Athan., disputatione cum Ario, circa finem, quæ habetur tom. 4; et Cyril. Alexand., lib. 2 de Fide ad Regi., longe post medium, et epistol. ad monachos Ægypti, sub finem, quæ habentur in 1 tom. Concil. Ephes., cap. 1 et 5, qui dicunt Christum fuisse subditum legi. Et probatur ratio, quia illa lex generaliter fuit lata pro omnibus hominibus Israelitici populi, per circumcisionem ad Dei populum aggregatis; unde est illud Pauli, ad Galat. 5: *Testificor omni homini circumcidenti se, quia debitor est universæ legis faciendæ*; sed Christus fuit de illo populo, et circumcensus; ergo fuit sub illa lege comprehensus; nullibi enim legitur illum fuisse specialiter exemptum, aut cum illo dispensatum, ne illa lege teneretur.

8. *Christus non subjectus legi veteri.* — Soto. — Nihilominus verissimam censeo assertionem positam, quæ videtur esse sententia D. Thomæ infra, q. 37, art. 3 et 4, ubi simpliciter negat Christum fuisse obnoxium veteri legi; et idem dicit de B. Virgine quoad ea quæ ad Filium pertinebant, et q. 40, art. 4, licet dicat Christum Dominum semper servasse legem veterem, non tamen ex obligatione, sed propter alias congruentias quas ibi adducit. Pro eadem sententia multa congerit Joannes Arboreus, lib. 3 Theosoph., c. 6. Idem docuit Soto, in 4, dist. 2, q. 1, art. 3, in fine, qui optimam rationem indicat, nam illa lex data est populo Judæorum pro se et sua posteritate, sub qua solum comprehenduntur posterii, qui via ordinaria et per seminalem rationem a primogenitoribus descendunt; ergo Christus, qui hoc modo genitus non est,

non est sub illa lege comprehensus. Quod explicatur et confirmatur a simili, quia præceptum datum Adæ pro se et posteritate sua, in illo, ut in capite contenta, non comprehendit Christum, sicut nec transgressio ejus, quia Christus non continebatur in Adamo secundum seminalem rationem, sed solum secundum corpulentam substantiam; ergo similiter præceptum de circumcisione datum Abrahamæ et posteritati ejus, non comprehendit Christum, quia in lumbis ejus non continebatur secundum seminalem rationem; ergo pari ratione non fuit Christus obnoxius universæ legi Mosaicæ.

9. *Objectio.* — *Responsio.* — Dicit fortasse aliquis, argumentum recte concludere simpliciter, et absolute loquendo, non tamen supposita circumcisione, quam Christus assumpsit; nam per eam videtur sese obnoxium reddidisse universæ legi faciendæ, juxta testimonium Pauli supra citatum. Respondetur tamen, eodem modo posse applicari rationem, quia, sicut lex circumcisionis data est Abrahamæ, et filiis ejus, qui naturaliter ex illo generabantur, ita lex vetus solum fuit posita pro hominibus ex eadem stirpe progenitis, vel etiam pro aliis puris hominibus, si circumcidi vellent, præsertim quia, cum illa lex esset imperfecta, et ad ostendendam imbecillitatem naturæ imposita, solum hominibus imperfectis, et ex origine sua peccato subjectis imposita fuit. Unde ad Galat. 3, ait Paulus legem propter transgressionem esse positam; et infra dicit legem fuisse pædagogum in Christo, ut ex fide justificarentur qui sub illa tenebantur; et idem colligi potest ex tota epistol. ad Rom., et præsertim c. 6, ubi distinguuntur *esse sub lege, et esse sub gratia*; multo ergo magis condistinguentur, esse sub lege, et esse ipsum auctorem gratiæ; non ergo fuit sub lege Christus, qui fuit auctor gratiæ. Item cum esset *umbra futurorum*, et illius finis et complementum futurus esset Christus, per quem abroganda erat, non debuit Christo imponi; unde ad Galat. 3 dicitur, illam legem positam esse, *donec veniret semen*, quod est Christus. Deinde Christus erat dominus legis, et ideo non fuit decens ut etiam secundum humanitatem illi subderetur; unde Matth. 12, cum Judæi illum calumniarentur, quod sabbatum non servaret, respondit: *Dominus est filius hominis, etiam sabbathi*. Quod explicans Augustinus, lib. Quæst. in Matt., q. 10, dicit, illis, verbis ostendisse Christum, se non esse subjectum legi, quia erat Filius Dei



naturalis, et dominus legis. Et ad eundem sensum trahi possunt verba Joann. 5: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*, quibus Christus ad similem calumniam respondit; quasi diceret se cum Patre omnia fecisse et facere, et ideo non esse subditum legi, ut indicant Cyril., lib. 2 in Joan., c. 33; et Aug., tract. 17 in Joan.; quanquam D. Thomas aliter et satis bene explicet infra, q. 40, a. 4, ad 1. Aliqui hoc confirmant ex verbis Pauli, ad Galat. 3, dicentis legem veterem datam esse per Angelos in manu mediatoris, id est Christi, ut ipsi exponunt. Ac si sit sensus, illam quidam legem ordinatam esse per Angelos, tamen totam positam esse in potestate Christi, et illum non obligasse. Sed est expositio aliena omnino a sensu Pauli, et omnium Doctorum interpretatione; mediator enim illo loco appellatur Moyses, qui inter Deum et populum internuntius et sequester fuit, ut dicitur Deuter. 5; dicitur ergo lex data in manu mediatoris, quia Angeli non immediate promulgarunt, et dederunt legem populo, sed Moysi, per quem lex data est, ut dicitur Joan. 1; ex hoc ergo loco nihil probari potest. Alia vero, quæ adduximus, satis hanc veritatem confirmant.

10. Argumenta vero contrariæ sententiæ ex dictis fere soluta sunt; dicitur enim Christus non venisse ad solvendam, sed ad implendam legem, primo, quia licet non fuerit legi obnoxius, plene tamen ac perfecte illam servavit, ut eleganter D. Thomas explicuit in illo art. 4, q. 40. Secundo, quia Christus implevit legem sicut veritas figuram, vel sicut donatio promissionem, ut bene Augustinus, lib. 16 contra Faust., c. 6, et lib. 18, a princ., et lib. 19, cap. 24. Tertio, implevit legem, quia quicquid perfectionis legi deerat, ipse addidit et complevit, ut idem dixit Augustinus, lib. 1 de Ser. Dom. in monte, c. 14. Et ad eundem modum dicit Chrysost., hom. 16 in Matth., Christum implevisse legem dando gratiam, quam lex dare non poterat. Denique dici potest implevisse legem, quia per passionem et mortem suam illam consummavit, ut D. Thomas infra explicat, q. 47, art. 2, ad primum. Quod vero Paulus ait, Christum factum esse sub lege, non jus, sed factum, non obligationem, sed usum significat, ut indicant Hieron., Aug. et Ambros., et clarius Anselm, dicens: *Subditus est legi, non quia ipse legi quidquam deberet, sed ut nos redimeret*. Et S. Thomas, q. 37, art. 1: *Factum, inquit, sub lege, quia pondus legis in*

*se sustinuit*. Et idem est sensus Athanasii et Cyril., locis superius allatis, qui simul asserunt Christum et fuisse liberum, et subditum legi; liberum, scilicet, quoad obligationem; subditum vero quoad observationem,

## SECTIO III.

*Utrum habuerit Christus aliquod speciale præceptum divinum cui fuerit subjectus.*

1. Hoc dubium præcipue tractari solet de præcepto moriendi pro hominibus, an Christus illud habuerit, et quale illud fuerit. Quidam enim Theologi negant Christo Domino impositum fuisse hoc præceptum. Ita sentit Palud., in 3, d. 12, q. 2, a. 3, solum quia princeps (ut inquit) solutus est legibus. Quod fundamentum insufficiens est, ut ex dictis patet. Eandem sententiam tenet Dionys. Cisterciens., in 3, q. 3, art. 2, concl. 6, qui existimat obligationem præcepti repugnare cum perfecto merito de condigno. Quod tamen in superioribus jam a nobis rejectum est. Videtur autem hanc eandem sententiam docuisse Chrysost., hom. 59, et 74 in Joann.; docet enim illud mandatum, quod Christus dicit habuisse a Patre, non fuisse verum et proprium præceptum, sed solum mandatum in illa latiori significatione, in 1 sect. explicata; et hom. 7 in epist. ad Philip., explicans obedientiam Christi contra Arianos, inquit: *O insensati et amentes, nam et amicis nos obedi-mus, et nihil nos hoc dejicit, ut Filius obedivit Patri, non in servilem conditionem decidens*; sentit ergo illam obedientiam non fuisse in ordine ad præceptum proprie sumptum, sed in ordine ad divinam voluntatem sibi simpliciter insinuatam et commendatam, cui Christus per humanam voluntatem maxime conformis fuit. Unde sumi potest probabilis ratio, quæ, ut Christus in omnibus exequeretur voluntatem Patris, non indiguit præcepto, sed sola voluntatis paternæ cognitione; perfecta enim obedientia non expectat præceptum, sed ad nutum superioris voluntatis movetur, ut D. Thomas docet, 2. 2, q. 104, a. 2. Unde Theophyl., exponens verba illa Joan. 15: *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego præcepta Patris mei servavi, et maneo in ejus dilectione*, inquit: *Hoc temperans se audientium infirmitati dicit, non enim qui omnium est legislator, mandatis obnoxius, et sine paternis mandatis vivere non potest, hoc enim cogitare fuerit absurdissimum*; et in fine c. 14 exponit illud: *Sicut manda-*

*tum dedit mihi Pater, sic facio*, hoc modo: *Quod complacitum est illi, et decretum ab eo, suscipio et perficio*; et infra: *Mandatum dedit, hoc est voluit, dixit, approbavit, decrevit*. Et confirmatur primo ex verbis ejusdem Christi, Joann. 10: *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam; nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso; potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam; hoc mandatum accepi a Patre meo*. Ubi imprimis eodem modo loquitur Christus de morte sua et resurrectione, utriusque dicens se habuisse mandatum a Patre; non potest autem dici habuisse proprium præceptum resurgendi, tum quia illud magis erat opus divinitatis quam humanitatis; tum etiam quia alias semper Christus operatus esset ex præcepto, quia de omnibus sciebat Patris voluntatem; ergo neque moriendi habuit proprium præceptum. Deinde in illis verbis insinuat Christus totum hoc negotium positum fuisse in suo arbitrio et voluntate, quod etiam Chrysost. notavit, hom. 24 super ad Heb., circa verba illa c. 12: *Aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta*. At vero si habuisset proprium et rigorosum præceptum, non esset simpliciter positum in ejus arbitrio et voluntate. Ubi etiam insinuat ratio illa supra tractata, quia si Christus habuisset hujusmodi præceptum, non libere, sed necessario illud implevisset, quia est impeccabilis. Tandem confirmatur, quia vix intelligitur quomodo fuerit possibile tale præceptum moriendi, quia præcepta sunt de iis quæ sunt in nostra potestate; sed mors illa non fuit omnino posita in voluntate Christi, quia profecta est ex prava voluntate Judæorum; ergo.

2. Dicendum nihilominus est, Christum habuisse verum et proprium præceptum redimendi genus humanum per passionem et mortem suam. Ita sentit D. Thomas infra, q. 47, art. 2, et 1 p., q. 41, art. 6, ad 2. Et fundamentum est, quia Christus ut homo potuit obligari, et subijci huic præcepto, ut ex supra dictis satis constat; sed Scriptura sacra, proprie et juxta communioem Patrum sententiam intellecta, significat habuisse hoc præceptum; ergo intelligenda est de vero et proprio præcepto, cum facile possit, et sufficiens congruentia non desit; minor constat ex citatis verbis Joan. 10: *Hoc mandatum accepi a Patre, et 14: Sicut mandatum dedit mihi Pa-*

*ter, sic facio*; et 15: *Patris mei præcepta servavi*, quæ omnia proprie intelligit August., tract. 79 in Joan., l. 13 de Trinit., c. 14, et q. 55 super Deuteron., quibus locis interdum vocat hoc mandatum, *Patris voluntatem*, non quia proprium præceptum non sit, sed quia ita loqui solemus de superioris præcepto, dicentes hanc esse superioris voluntatem. Et eodem modo loquitur Christus, Joan. 4, cum dicit cibum suum esse, *ut faciat voluntatem Patris*, id est, ut sanctificationem nostram operaretur, sicut sibi erat a Patre præscriptum, ut exponit Gregor. Nyss., l. de Beatitude, circa illud: *Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam*. Et de eadem voluntate recte exposuit Paul., ad Hebr. 10, illud Psal. 39: *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam*, quam voluntatem statim legem appellavit, subdens: *Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei*, ut notavit Agatho Pap., in ep. 1, quæ refertur in VI Synod., act. 4. Ac denique propter eandem Patris voluntatem ait Christus, Matth. 26: *Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua*; dicit enim non posse, quia jure non poterat; intelligebat enim necessitatem præcepti urgere, ut indicavit Damasc., lib. 3 de Fide, cap. 24. Secundo, principaliter hoc colligitur ex Paulo ad Philip. 2: *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, quod de propria obedientia intelligendum est, cum facile possit; propria autem et vera obedientia non est nisi ubi intervenit præceptum, quod est veluti formale objectum ejus, ut constat ex 2. 2, q. 104*. Et optime confirmatur (ut bene notavit Origenes, hom. 2 in Cant.) ex illo ad Rom. 5: *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obedientiam, justi constituti sunt multi*; obedientia ergo Christi, inobedienciæ Adæ opposita fuit; sicut ergo illa fuit vera inobediencia præcepto contraria, ita hæc fuit vera obedientia præcepto conformis; quam collationem seu comparisonem Christi cum Adamo recte ponderavit Cyril., lib. 10 in Joan., cap. 11. Tertio, hinc reddi potest conveniens ratio hujus præcepti; fuit enim expediens ut, sicut homines per inobedientiam perdituri fuerant, ita per obedientiam repararentur. Item etiam quia opus, ex obedientia factum, cæteris paribus perfectius est, et Deo gratius. Præterea, potuit hoc expedire ut Christus nobis esset omni ex parte perfectum humilitatis et obedientiæ exemplar. Congruentias alias, et alia Patrum testimonia